

## 1517

Lat., 1430-1431, chart., cm 30,5×22, f. 316+II.

f. 1r-13v vacua.

1. f. 14r-22r, 28r-39v, 41r-49v, 53r-231v, 233r-296v: Ioannes Sachs de Norimberga, Principia et Commentum in Petri Lombardi Sententiarum libros I-IV

*Sentenciarum M<agistri> P<etri> Lombardi* [in marg. manu XVI s.]. [Invocatio] — *De licencia et permissione venerabilium patrum dominorum ac magistrorum sacre Theologie Facultatis matris mee inclite professorum eximiorum. Ad semper benedicte Trinitatis ...*[Princ. I] — *Et sic tuo adiutorio opus incipiendum perficiat laudabiliter Sanctissime Trinitatis auxilio sic invocato ... quatuor per ordinem habeo in presenti facere actu ... tercio habeo cum venerabilibus dominis et preceptoribus meis, magistris Stephano de Egenburga et Iudoco Kauffman de Hailprunna, baccalariis in theologia et sentenciariis, cum quibus, licet insufficiens, in legendo Sentencias concurram ...*[f. 14v] *Quantum ad primum. Iuxta doctrinam Apostoli Ad Hebreos 13 [ , 9] dicentis: Nolite doctrinis variis et peregrinis abduci, resumo verba ... — Solem suum facit oriri super bonos et malos [Mt 5, 45]. Reverendi patres, doctores et magistri ... — Licet verba thematis nostri a Christo Domino, Redemptore nostro ex utero virginali tempore plenitudinis gracie orto ...*[f. 16r]... *Solem suum ... Que fuerunt verba loco thematis assumpta et, ut audistis, introducta. — In quibus quidem verbis: sol splendidissimus, divinalis scriptura. In hoc quadripartito volumine Sentenciarum quasi summarie contenta iuxta 4<sup>or</sup> parcialium librorum materias ...*[Princ. II; f. 17r] — *Solis iusticie Christi Domini Dei nostri auxilio adiutus ... Prosequendo primum premissorum resumo thema in prioribus principiis meis ... — Solem suum facit ...*[Mt 5, 45]... — *Secundum beatum Dyonisium in 4<sup>o</sup> c<apitulo> De divinis nominibus: Sicut lucidissimus planeta Sol radios suos emittit ...*[Princ. III; f. 19r] — *Solem suum facit ...*[Mt 5, 45]... — *Studiosse perscrutantibus passus divinalium scripturarum occurret, quod postquam invidia dyaboli ...*[f. 20v]... *Quartum principium ad quartum Sentenciarum pertinens [rubro]. — Completis adiutorio Christi Domini, solis iusticie, principiis et lecturis trium librorum Sentenciarum, principiaturus pro presenti in 4<sup>um</sup> librum Sentenciarum ... — Solem suum facit ...*[Mt 5, 45]... — *Licet verba thematis nostri, a Christo Domino prolata,*

*ad litteram sint dicta de materiali Sole ...[Quaestiones; f. 28r] Iuxta materiam collacionis moveo questionem [in marg.]. — Utrum sol iusticie, Deus, clare visibilis ab hominibus, factor omnium, sit pro redempcione gencium in humana carne temporaliter ortus et in eadem in fine seculi bonos et malos iudicaturus ... Reversurus ad questionem propositam divido eam in 4<sup>or</sup> articulos iuxta 4<sup>or</sup> materias principales 4<sup>or</sup> librorum Sentenciarum ... Prima respiciens materiam primi libri ...: Utrum sol fulgentissimus, divina scilicet essencia, sit a nobis visibilis in hac mortali vita eo modo, quo videtur a sanctis in patria ... Secunda subquestio respiciens materiam secundi libri ...: Utrum primaria Creatoris opera sint facta per temporum intervalla. Tercia questio erit ...: Utrum reparacio humani generis fuerit causa ultimata et precipua, propter quam Christus, sol iusticie, fuit in carne temporaliter ortus ... Quarta subquestio respiciens quartum librum [f. 28v]...: Utrum in humana forma Christus Dominus sit bonos et malos in fine seculi iudicaturus. Reservatis 2<sup>a</sup>, 3<sup>a</sup> et 4<sup>a</sup> questionibus ... respondebo nunc ad questionem primo formatam et primum librum ... Quantum ad primum. — Sit hec propositio prima et responsalis ad quesitum: Sol fulgentissimus, divina scilicet essencia, de communi lege non est visibilis a nobis in hac mortali vita ...[Quaestio 2; f. 34r] — Utrum primaria Creatoris opera sint facta per temporum intervalla. Quod sic, quia Genesis primo describuntur opera Dei successive facta per dierum intervalla ...[Quaestio 3; f. 41r] Quantum ad 2<sup>m</sup> principale. Quia in primo meo principio in Sentencias iuxta verba thematis movi hanc questionem: Utrum sol iusticie Deus ... reductus fuit ad titulum talem: — Utrum reparacio humani generis fuerit causa ultimata et precipua, propter quam Christus, sol iusticie, fuit in carne temporaliter ortus. Ad eius questionis partes utrasque eciam tunc argumentum ...[Quaestio 4; f. 45v] Quantum ad secundum principale restat modo expedire quartum articulum, scilicet determinare quartam subquestionem ... — Utrum in humana forma sol iusticie, Christus Dominus, sit bonos et malos in fine seculi iudicaturus. Quod questio sit falsa ...[Com. in Prol.; f. 53r] — Cupientes aliquid de penuria etc. — Huic totali libro [alia manu suprascr.: Magister] premitit Prologum, in quo tangit causas suscepti operis. Et principaliter tria facit. Primo reddit auditores benivolos, 2<sup>o</sup> dociles, ibi: Horum igitur Deo odibilem, 3<sup>o</sup> attentos, ibi: Non igitur debet hic labor ...[Com. in lib. I; f. 55r]... — Veteris ac Nove legis etc. — Hic incipit tractatus, qui dividitur in 4<sup>or</sup> libros parciales, quorum primus dividitur in partes 2. In prima parte Magister venatur materiam omnium librorum ...[Quaestio; f. 56v]... — Queritur, quid sit frui, scilicet an actus voluntatis, an aliarum potenciarum et an Deo solo*

*sit fruendum. Arguitur primo, quod sit solum actus voluntatis ...[f. 124v]... Finita est hec Lectura textualis primi libri Sentenciarum anno a Nativitate Domini 1430, die sexta mensis Maii, in alma Universitate Studii Generalis in Vienna, principali opido ducatus Austrie, constituta per magistrum Iohannem Sachs de Nurenberg, baccalarium sacre theologie [rubro]. [Com. in lib. II; f. 125r] Incipit secundus liber [rubro]. — Creacionem rerum insinuans Scriptura. — Liber secundus, in quo determinat Magister de rerum creacione et eorum [!] ornatu ...[f. 170r]... Finita est hec Lectura textualis secundi libri Sentenciarum et completa die septimo mensis Novenbris, anno a Nativitate Domini 1430, in Universitate Studii Generalis Wiennensis, per magistrum Iohannem Sachs de Nurenberga, sacre theologie baccalarium etc. [rubro]. [Com. in lib. III; f. 173r] — Cum venit igitur plenitudo temporis. — Iste est tercius liber Sentenciarum magistri Petri Lombardi archiepiscopi [!] Parisiensis. Et continuatur ad precedentes sic: Postquam Magister determinavit de rebus divinis et creatis ...[f. 231v]... Hec Lectura 3<sup>ii</sup> completa est in alma Universitate Wiennensi anno 1431, in vigilia Annunciacionis B(eate) Virginis Marie [24 III], per magistrum Iohannem Sachs de Nurenberg, sacre theologie baccalarium formatum. [Com. in lib. IV; f. 233r] — Samaritanus enim vulnerato apropians. — Hic incipit quartus liber Sentenciarum magistri Petri Lombardi, Parisiensis episcopi, qui ad precedentes libros tres continuatur sic: Postquam in precedentibus libris determinatum est de rebus ...[f. 296r]... gloria beatorum, que in Dei visione consistit, ut sicut a Deo incipiens eis doctrina eciam terminetur in Deo, qui est principium, a quo omnia et finis, ad quem omnia ordinantur ...[f. 296v] Hec Lectura quarti Sentenciarum ac omnium librorum textualis completa est in alma Universitate Wiennensi, anno a Nativitate Domini millesimo quadri(n)-gesimo tricesimo primo, die undecima mensis Octobris. [Laus Deo ac graciaram accio – rubro], per magistrum Iohannem Sachs de Nurenberg, theologie sacre baccalarium formatum ac arcium magistrum. [Adscr. manu s. XVI]: 121 annus 1551.*

Cf. RS 479 (etiam nr. 334: Henricus Toting de Oyta, cuius commentum exemplar pro Ioanne Sachs fortasse constituit). F. 22v-27v vacua (f. 22v-23r marginum schemate instructa), f. 40r-v vacuum, f. 50r-52v vacua (f. 50r marginum schemate instructum), f. 170v-172v vacua (f. 170v marginum schemate instructum).

## 2. f. 232r-v: Bulla extravagans de animabus sanctorum

*Extravagans Benedicti duodecimi, quod anime sanctorum aut purgate statim post exitum a corpore post Domini ascensionem videbunt essenciam divinam intuitam [rubro]. Benedictus episcopus, servus servorum*

*Dei, ad perpetuam rei memoriam. — Benedictus Deus in donis suis et sanctus in omnibus operibus suis ... Datum Avinione IIII Kalendas Februarii [29 I], pontificatus nostri anno secundo. Datum est anno Domini 1336.*

Ed.: Mansi, 25, 985-987 (fragm.); Bullarium diplomatum privilegiorum sanctorum Romanorum pontificum. Taurinensis editio, 4, Taurini 1859, 345-347.

f. 297r-316v vacua, f. 297r-304v marginum schemate instructa.

**\*3.** f. integ. post. aggl. – f. IIv, Ir – f. integ. ant. aggl.: Biblia Hebraica. Fragm.: Num 5, 19-29; 6, 4-18; 6, 23 – 7, 9; 7, 13-27






Cf. BwB Database (accessus 18.12.2015).

XIV, Hebr., membr., rotuli fragm. duo ad libellam recisi et ad perpendiculum secundum partem sinistram columnae sinistrae praecisi: f. integ. post. aggl. – f. IIv (Num 5, 19-29; Num 6, 23 – 7, 9), Ir – f. integ. ant. aggl. (Num 6, 4-18; Num 7, 13-27). Scriptura calligraphica quadrata in Aschenez regione usitata.

Fasciculi: 1<sup>6+6</sup> (f. 1-12); 2-3<sup>7+7</sup> (f. 13-40); 4-26<sup>6+6</sup> (f. 41-316). Custodes numeris Arabicis in initio fasc. 2-25: 2<sup>us</sup> sexternus – 25, quidam partim praecisi. Reclamantes in fasc. 5-7, 9-17, 19-24, quaedam partim praecisae.

Signa aquatica: 1. Var. Piccard 2, XII 196 (1429-1431) f. 1-12, 305-316; 2. Var. Piccard-Online 67513 (1424) f. 13-40, 89-136; 3. Var. Piccard 2, XII 629 (1425-1427) f. 41-76, 137-232 (charta eodem signo distincta in cod. BJ 1574, f. 193-228); 4. Var. Piccard 9, VII 492 (1428) f. 77-88 (charta eodem signo distincta in cod. BJ 1574, f. 184-189); 5. Var. Piccard 2, XIII 34-35 (1427-1435) f. 233-304. Charta a. 1424-1435 in usu erat.

Scriptura et ornamenta: Codex pluribus manibus exaratus, attamen in f. 14r-22r, 28r-39v, 41r-49v, exceptis fragmentis paucis in f. 32r, 33v, 49v scriptura autographa Ioannis Sachs de Norimberga. Cuius manus scriptura in aliis quoque codicis locis occurrit, in marginibus praecipue, cf. Notas et glossas. Atramento simplici linea ductum unius columnae schema usque ad f. 88v, inde a f. 89r duarum columnarum. Perforationes schemati ducendo conspiciuntur. Lati margines exteriores et inferiores. Rubricatio copiosa, exceptis f. 41r-45r. Rubricarum modus atque ratio et peculiaris rubra linea crassa, qua textus partes sunt obductae, simillimae in cod. BJ 1574 occurrunt. Litterae initiales: f. 173r: aureo colore depicta littera C textus lineis 4 aequa, in area filigranis expleta et circumdata atramento rubro calami ope effectis; f. 233r: praecedenti similis littera S colore caeruleo obscuriore depicta textus lineis 7 aequa. Ceterum litterae initiales dimensionibus variis, rubrae, simplices, ornationibus brutis decoratae, e. g. f. 286v, 288v. In pagina currenti in f. 113r, 120r, 125r-136r, 145r-148r, 153r, 160r, 163r-167r, 195r-202r, 206r-207, 209r-213r, 215r-216r, 221r-222r, 228r, 230r, 235r, 241r-242r, 244r-246r, 270r-273r, 275r, 277r-280r, 282r-283r, 287r-289r distinctionum et librorum numeri rubri. Quae omnia eadem manu atque in cod. BJ 1574 inscripta sunt. Tituli et colophones litteris maioribus, rubris saepissime seu nigris, lineola rubra infra ducta vel circumscripta.

**Notae et glossae:** Adnotationum emendationumque pars maior ab Ioanne Sachs de Norimberga scripta esse videtur. Legitur in f. 20v textus supplementum, quod sequitur: *cum quo licet indignus concurro in lectura Sentenciarum*. Ex quo assumere licet cum certitudine, quod nemo quam textus auctor huius modi adnotationem fecisse potuit. Quoniam autem adnotationem istam textus scriba evidenter exaravit, ergo assumere licet eundem Ioannem Sachs de Norimberga fuisse. Huic et cod. BJ 1574 signa peculiariter plurima scripta sunt, quibus textus falso loco exaratus designatur, qui alibi transponendus est, e. g. f. 33v , 37r , 59r , 63r , 79v ; in f. 186v: rubro: *Sequens glosula pertinet ad tale signum: corona clausa delineata littera B ornata*. Accedunt in marginibus distinctionum numeri, e. g. f. 144v, 146v, 241r, vocabula scriptorum materiam indicantia rubro et nigro atramento scripta, e. g. f. 75v, 80r-81v, 87r-88v; textus supplementa et emendationes, e. g. 79v-80v, 96v, 102r, 142r, 144r, 145r; auctoritates, loci ex Sacra Scriptura, e. g. f. 28r, 233r, 260r. Notae productiones, e. g. f. 75v: *Dubitatur, quare in littera dicitur, quod Spiritus Sanctus amor est caritas sive dilectio Patris ...*; f. 83r: *Nota: Due sunt processiones, scilicet processio Filii et processio Spiritus Sancti ...*; f. 96r: *Ex tota distincione 21<sup>a</sup> habetur summarie primo, quod dicendo solus Pater est tantus, quantum sunt illi tres ...* Notae et emendationes Ioannis Beber de Osswycanzym manu scriptae, e. g. f. 287r, 296r (eius scripturam cf. in cod. BJ 263, f. 24v de a. 1457 et BJ 1918, f. 39v). Maniculae, e. g. f. 190v-191r, 279r, 282v. Adscriptio s. XVI facta in f. 260r: *Distinctio 18*.

**Compactura** in Austria, similiter atque cod. BJ 1574, confecta esse videtur. Codex tempore aliquantulo sine compactura fungebatur, quo factum est, ut chartae exteriores fasciculorum obsoletae factae sunt: f. 53r, 124v-125r, 172v-173r. Manu, quae Ioannis Sachs de Norimberga esse videtur, in folio integ. ant. aggl.: *Lectura textualis librorum Sentenciarum*. Compactura tabulis ligneis oblique praecisis constat corio cervino, ornamento lineari simplici decorato, albo olim, nunc obscuriore et vehementer detrito facto, obtectis. Fibularum metallicarum et cingulorum coriaceorum duorum, metallo praefixorum, quibus codex olim in anteriore integumento claudebatur, clavi aliquot vestigiorum vice exstant, item umbonum quinquor in utroque integumento nihil nisi vestigia. In corio integumenti anterioris rubro obscuriore facto colore inscriptio mutila: *Lectura <tex>tualis librorum <Sentenciarum>* (cf. cod. BJ 1574, ubi simili loco et colore inscriptio). Dorsum paulo convexum, ligamenta quattuor duplicia, codicis capiti et calci funiculi obsuti. Volumen adaequatum, anguli rotundati. Integumentorum partibus interioribus folia agglutinata, in qua leguntur Hebraica scripta, cf. nr. \*3. Ante- et post-folium incompleta cum foliis integumentis agglutinatis singulas efficiunt chartas, cf. nr. \*3. Schedulae oblongae membranaceae fasciculorum suturam munientes litteris Latinis s. XIV conscriptae, in solis fasc. 19-20 (f. 226-227, 238-239) vacuae. Schedulae similes insutae sunt etiam locis, ubi tabulae integumenti cum dorso coniunguntur. Scheda parva – tessera iuxta f. 191/192 invenitur. Codicis status: Anno 2015 in Bibliothecae Jagellonicae conservatorum pergula tabulae utriusque corium novum, ubi deficiebat, suppletum est, quoniam veteris illius fragmenta asservata vehementer demolita, detrita, defectivaque erant. Tabulae dissolutae in statum pristinum refectae sunt. F. 5r, 6r rimis variis, creta lutei coloris delineatis, turpata.

**Codicis origo et fata:** Codex a. 1430-1431, Vindobonae conscriptus, continet Principia et Commentum in Petri Lombardi Sententias Ioannis Sachs de Norimberga (cf. de eo RS 479; Die Akten der theologischen Fakultät der Universität Wien (1396-1508), hrsg. P. Uiblein, 1, Wien 1978, 669; Die Matrikel der Universität

Wien, 1: 1377-1450, Graz, Köln 1956, 122), eidem etiam proprius fuit. Ab eodem quoque partim conscriptus esse videtur, cf. Script. et ornam. et Notas et glossas. Scriptura Ioannis Beber de Osswyanczym probari videtur codex Cracoviae iam circa a. 1470 fuisse, cf. Notas et glossas. In f. integ. post. aggl. XVI s. manu: *Io(annes) Ryczywol in Lazany*, qui fortasse idem est atque Universitati Cracoviensi a. 1534 inscriptus Ioannes Sandivogii de Ryczywol, cf. Metryka 1509-1551, 186 (1534e/037); *Bartholus Raszkowsky, baccalarius arcium, habet altare s. Alexii* – Bartholomaeus Martini Rassowski, Universitati Cracoviensi a. 1534 inscriptus, cf. Metryka 1509-1551, 235 (1543e/012). Signaturae antiquae: topogr. *CC IX 18* manu I. G. Bandtkie in f. integ. ant. aggl., insuper in frustulo quadrati forma ibidem aggl.: *16*. In cingulo chartaceo inter f. 171/172 olim inserto: *340*, et ibidem in parte inversa numerus antiquior: *24*.

**Bibliographica:** Wislocki, Katalog, 372; RS 479; L. Nowak, O dwóch rękopisach Jana Sachsa z Norymbergi w Krakowie, „Przegląd Tomistycki”, XXI 2015, 365-378.

AK, LN

## 1518

Lat., 1428, chart., cm 30×21,5, f. 415+II.

**1. f. 1r-10v:** Benedictus Hesse de Cracovia, Principium in I librum Sententiarum Petri Lombardi

[Recom. Sacrae Scripturae. Absque initio] (—*In nomine Sancte et Benedicte Trinitatis atque semper individue Patris et Filii et Spiritus Sancti ... Act. 17* [, 28]. —*Ad laudem et honorem Iesu Christi, in cuius nomine omne genu flectitur ...*) *Amplius, fili mi, ne requiras faciendo plures recomendaciones [libros – suprascr. manu Benedicti Hesse de Cracovia; Eccle 12, 12]. Qua igitur presumptionis temeritate me deberem ingerere ad recommendandum Sacram Scripturam ... Ad cuius prosecutionem repeto thema meum, quod assumpseram in legendo cursum: —Misit verbum suum et sanavit eos. Sic scribitur Psalmo CVI<sup>o</sup> [, 20]. Venerabiles magistri, patres ac domini prestantissimi. —Quanta mala inflictata sunt homini propter inobedienciam et transgressionem divini precepti ...[f. 3v]... In quibus quidem verbis sic ruditer introductis iuxta materias parciales huius libri Sententiarum, que in 4<sup>or</sup> libris parcialibus pertractantur, 4<sup>or</sup> innuuntur: Primo innuitur immense divinitatis mira altitudo et hoc quoad primum librum; 2<sup>o</sup> tangitur nostri Creatoris ponderanda bonitas et hoc quantum ad materiam 2<sup>i</sup> libri; 3<sup>o</sup> perpenditur divina sapientia ruine generis humani restaurativa et hoc quoad 3<sup>m</sup> librum; 4<sup>o</sup> subiungitur perfecte sanitatis restitucio et hoc quoad 4<sup>m</sup> librum ... ecce altitudo immense divinitatis, de qua primus liber considerat, in quo magister Petrus Lombardus nacione, alias Comestor dictus [! cf. J. de Ghel-*